

pietate, tanta perillustri doctrina, omnique ornato virtutum genere.

« Animum meum interea acutus excruciat dolor. Ordinem nostrum perenne mox manet opprobrium, hujus declinandi omnis mihi praeclusa via. Decrevit sacra Congregatio Reverendae fabricae, ut S. P. Norberti statuae modulus e basilica S. Petri propelleretur, nisi intra annum marmorea erigeretur statua. Hujusce operis perfectionem totis anhelis praecordiis, huicque sedulam libenter admovebo manum, ast nunc omne vanum conamen molimenque cassum; siquidem dira nos undique premit egestas totumque grassatur per ordinem. Nec mirum, ecclesiarumstrarum facultates ab ovo tenues admodum, ex die exiles magis evadunt; inter eas plures, ne dicam fere omnes, deprimunt commendae; plurimum depressit et ipsarum omnium matrem trium paucis ab hinc annis generalium immaturus interitus. Regiones nostras ad haec vel vicinas cruentus continuo vastat Martis gladius; exactionesque tantae, ut, iis solutis, religiosus victus et vestitus vix erogari possint.

« Clementiam vestram, Beatissime Pater, super tam gravi negotio prostratus appellat candidus ordo, majoresque supplex rogat inducias, has concedere si non dedignetur Sublimitas Vestra, sumptibus statuae conficiendae sufficientibus, quam potero celerrime cumulandis totus incumbam, qui maneo,
demississima veneratione
Sanctitatis Vestrae

submississimus et humillimus servus
et in Christo filius de Vinay electus
abbas Praem. et generalis ».

Praemonstrati,
19a julii [1758] »

(Archivium secretum vaticanum, *Particolari* 236, ff. 3-3 v^o).

**De electione Abbatum Generalium
Augustini de Roquevert (1740),
Brunonis de Bécourt (1741),
Antonii Parchappe de Vinay (1758).**

Electiones Abbatum in variis regionibus in genere, et abbatis Praemonstratensis, insimul abbatis generalis totius Ordinis in specie,

non raro difficultatibus varii generis ansam dederunt. Non raro gubernium civile in his electionibus modo parum felici decisionem attulit aut imposuit. Nullo modo quaestionem hanc historico-iuridicam in toto suo ambitu, ne a longe quidem, describere aut diiudicare intendimus. Intendimus solummodo quaedam testimonia afferre de ratione qua electiones abbatum generalium de Roquevert (1740), de Bécourt (1741), Parchappe de Vinay (1758) ad finem deductae fuerint.

De electionibus istis nonnulla refert C. TAIEE, *Prémontré*, t. II, Lauduni, 1873. Notat iste de electione abbatis de Roquevert : « Augustin de Roquevert, abbé de Clairefontaine, près Villers-Cotterêts, fut élu unanimement en décembre 1740; Pierre-Antoine Parchappe de Vinay, le seul concurrent sérieux qui lui était opposé, ayant été exclu de l'élection. Mais les bulles reçues et l'installation faite en juillet 1741, Augustin Roquevert, accablé par l'âge et les infirmités, se retira dans sa famille, à Soissons, où il mourut le 30 octobre 1741. On s'explique peu, dès lors, la préférence du roi pour un candidat qui devait si peu faire et si peu durer » (o.c., p. 185).

Videmus proinde iam in hac electione sermonem fuisse de eligendo Parchappe de Vinay. Iterum de eo sermo erit in electione abbatis generalis de Bécourt, anno 1741, donec tandem aliquando electus fuerit abbas Praemonstratensis anno 1758.

Quisnam fuerit ille Antonius Parchappe de Vinay substantialiter indicatur a L. GOOVAERTS, *Écrivains, Savants et Artistes de l'Ordre de Prémontré*, t. II, Bruxellis, 1902, p. 345 s. : « Pierre-Antoine Parchappe de Vinay, ..., était, au mois de juillet 1741, le prosecretaire de l'abbé-général Augustin de Roquevert, après avoir été l'année précédente, au mois de décembre, son seul concurrent sérieux pour le généralat. Mais Parchappe de Vinay fut alors, par lettres du roi, exclu pour le généralat. Nous ne devinons pas les motifs de l'exclusion ... Après le décès du P. de Roquevert, arrivé le 30 octobre 1741, le commissaire royal reçut du roi des instructions favorables cette fois au p. Antoine de Vinay. Cependant Bruno de Bécourt, prélat de Dommartin ¹⁾, fut élu général le 12 décembre 1741; il mourut à son tour le 21 décembre 1757 ... Pour l'élection cette fois, le roi

¹⁾ Bruno de Bécourt, annis 1739-1742, abbas fuit Domni Martini (Dommartin), in dioecesi hodierna Atrebatensi (Arras). Scribit de ipso L. GOOVAERTS, *Écrivains, Savants et Artistes*, I, Bruxellis, 1899, p. 46 : « Il fut un homme d'habitudes modestes, soigneux administrateur, dirigea avec distinction la maison-mère, aussi bien au spirituel qu'au temporel ».

laissait le choix libre entre Ant. Parchappe de Vinay, Richard procureur général, Didier, prieur-curé de Chenevières, et Manoury ²⁾, prieur-curé de Reine Moulin ... La partie sage de l'assemblée était pour Ant. de Vinay. Mais une cabale plus active, montée par les deux procureurs de la maison et stimulée par leurs largesses, s'efforçait de faire triompher la candidature du frère Méallet, intrigant et meneur, précédemment secrétaire de Bruno Bécourt. Le roi, fort irrité, ordonna des mesures sévères pour assurer le bon ordre aux élections, qui eurent lieu le 27 février 1758. Ces mesures portèrent fruit. Parchappe qui, par prudence, avait offert son désistement, fut unanimement élu par acclamation universelle ». L. Goovaerts indicat fontem e quo hausit illas notitias. Nempe : C. TAEË, *Prémontré*, t. II, Lauduni, 1873, pp. 187-190. Scribit siquidem iste, l.c., p. 185 s. : « Les cabales étaient âpres (in electione anni 1741); les partis audacieux quand ils se croyaient forts; l'autorité morale trop souvent insuffisante; aussi le commissaire royal à l'élection, messire Jérôme Bignon, Chevalier, marquis de Plancy, reçut du roi des instructions favorables cette fois au R. P. Antoine Parchappe de Vinay, pleines de promesses pour les officiers qui favoriseraient son élection, comminatoires pour quiconque tenterait d'y faire obstacle. Cela néanmoins n'eut sans doute pas suffi, vu la passion qui cette fois en evenimait tous les rapports entre religieux; un heureux hasard résolut pour le moment la difficulté : l'un des abbés appelés conseillers à l'élection, voyant le temps se perdre en débats inutiles et irritants, invita paternellement les compromissaires au calme et au bon accord. Ils l'écoutèrent, mais par un revirement étrange, ce fut sur son nom que l'accord se conclut. Il en était digne, il réunissait dix voix sur onze compromissaires, il avait du savoir et de l'expérience, et le roi n'avait contre lui aucun grief. C'était Bruco Bécourt, alors abbé de Dommartin ». Mortuo autem isto Abbate generali, die 21 decembris 1757, nova electio necessaria erat. In qua electione Ant. Parchappe de Vinay electus fuit.

Variae circumstantiae vero huius electionis anni 1758, exponuntur a B. RAVARY, *Prémontré dans la tourmente révolutionnaire. La Vie de J.-B. l'Ecuy, dernier abbé général en France*. Parisiis, 1955, p. 47 s. Ubi haec, inter alia, legimus : « Les archives de l'Aisne conservent, à ce sujet, une très précieuse correspondance ..., en partie déjà ana-

²⁾ G. Manoury (1712-1780), et ipse postea factus est abbas Praemonstratensis et Ordinis Generalis; electus fuit ad istud munus die 18 aprilis 1770. Cfr. de ipso : L. GOOVAERTS, l.c., t. II, Bruxellis, 1902, p. 562-564; t. IV, 1914, p. 187 s.

lysée par J. BOUCHON dans son étude : *De l'intervention royale dans les élections des abbés généraux de Prémontré (1741-1789) : Mémoires de la Soc. ac. de Laon*, t. 28, pp. 268-300. ... L'une des plus mouvementées avait été justement celle de 1758, ou avait été élu Pierre-Antoine de Vinay. L'intendant de Soissons n'avait négligé aucun moyen pour faire passer un des candidats royaux. Il avait même amené une brigade de maréchaussée et mis l'abbaye en état de siège. Mais il trouvait en face de lui une majorité bien décidée à ne pas se laisser faire. Dans l'impossibilité de résister de front, chacun biaisait et cachait son véritable sentiment. « Il faut que ce soit des moines, notait rageusement l'intendant, pour ne trouver aucune vérité dans ce qu'ils m'ont déclaré capable de rassurer contre un mauvais choix de leur part ». Il convient d'ailleurs de faire remarquer que l'inspiration des opposants n'est pas appuyée sur des motifs surnaturels. Le Père Meallet, meneur, incapable de faire triompher sa propre candidature, se rabattit en fin de compte sur deux sujets que l'intendant qualifie ainsi : « faibles et peu capables » : le Père Cotel, prieur d'Auxerre, âgé soixante-trois ans, bon homme, bon curé, mais sans aucune apparence d'esprit de gouvernement ni d'autre, et le Père Duboc, prieur de Collège de Prémontré à Paris, qui quoique plus jeune, ne paraît pas avoir plus de valeur. Finalement le chapitre fut dissous et un ordre de la cour enjoignit d'expulser trente-six opposants, environ la moitié. Les trente-huit restants n'élurent pas, suivant l'usage, de compromissaires et acclamèrent l'un des candidats royaux, Pierre-Antoine de Vinay, qu'ils préférèrent malgré son désistement, au Père Richard, « qui vivrait longtemps ». L'abbé, une fois élu, tout rentrait dans l'ordre et les candidats évincés essayaient d'en prendre leur parti, en ayant soin toutefois de se maintenir bien en cour. Ce fut le cas, après l'élection de Pierre-Ant. de Vinay. Parmi ses compétiteurs figurait Guillaume Manoury, né à Elbœuf en 1712, qui avait déjà joué un certain rôle dans les Chapitres précédents ».

Cum autem in electionibus talibus canoniae Praemonstratensis non solum ageretur de Abbate domus matricis Ordinis, sed insimul de Abbate generali totius Ordinis, eventus narrati de illis electionibus sane minus favorabiles dicendae sunt auctoritati morali quae Abbati generali, vi muneris sui, competebat. Testimonia proinde Abbatum Ordinis, extra Galliam viventium, de electionibus tali modo peractis, nonnihil historiam vitae internae Ordinis eius aetatis illustrare possunt.

Porro testimonium tale, et quidem sub forma quodammodo pro-

tractae, extat in Diario abbatis Grimbergensis, Van Eeckhout; abbatis ex omni parte integerrimi et zelo erga Ordinem et veritatem christianam vere eminentis. Diarium istud asservatur in archivo abbatae Grimbergensis ³⁾. Agit iste abbas de electione anni 1740 et 1741.

De electione anni 1740 haec exponit : « 25a Ianuarii electus est Praemonstrati in Abbatem generalem Ordinis Reverendissimus Dominus Augustinus de Roquevert, Abbas Clari Fontis, Franciae et Ordinis Vicarius generalis. Duo candidati, numero sat magno Conventus Praemonstratensis suffulti, a Rege Christianissimo exclusi fuerunt, aliaque in hac electione acciderunt consideratione digna.

Modus vero electionis-quae hic fit via compromissi-is est : advocantur Patres Ordinis ⁴⁾, qui hodie solum duo sunt, scilicet Floreffiensis et Cuissiacensis ⁵⁾; hic, non ille huic electioni interfuit; insuper iuxta Statuta, alii Abbates immediate filiales Ecclesiae Praemonstratensis. Hos inter hac vice vocati fuerunt 2 Belgae, scilicet Bonae Spei ⁶⁾, et S. Michaelis ⁷⁾; primus Praemonstratum ivit, non secundus. Hi 4 Abbates habent qualitatem Consilarii. Interest itidem electioni Commissarius Regis Christianissimi, qui hac vice fuit Dominus Bignon, intendens-ut vocant-Suessionensis. Indicta erat electio in diem 15am Ianuarii, sed dilata fuit in 25am eiusdem mensis.

Omnes votantes de gremio Praemonstratensi eligunt undecim electores immediatos, in quos compromittunt. Huic primae electioni interest Commissarius regius. 11 Compromissarii procedunt ad Generalis electionem coram Abbatibus, et regio Commissario praedictis. Saltem hac vice Commissarius Regius interfuit; qui a sex inter illos undecim votum habet, mox Generalis declaratur, nisi Commissarius

³⁾ Augustinus Van Eeckhout (1670-1747) abbas Grimbergensis annis 1716-1747. Abbas eximius; zelus in retinenda veritate pura catholica; strenuus defensor decisionum SS. Pontificum relate ad sic dictum Iansenismum. Diarium eius asservatur (2 tt. constans) in archivo abbatae Grimbergensis : II, 19 et 20. Cfr. de abbate Van Eeckhout : L. GOOVAERTS, *l.c.*, II, pp. 298-300.

⁴⁾ Sub titulo « Patres Ordinis » designantur quattuor Abbates abbatiarum quae uti principales ducebantur : praeter abbatiam Praemonstratensem, abbates S. Martini Laudunensis, Floreffiensis et Cuissiacensis.

⁵⁾ Abbas Floreffiensis, annis 1737-1764 erat Carolus Dartevelle; abbas Cuissiacensis, annis 1610-1643, erat Franciscus Castelnau de la Mauvissière. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. II Straubing, 1952, p. 378 et 498.

⁶⁾ Abbas Bonae Spei, annis 1724-1752, erat Hieronymus Petit. Qui annis 1726-1752, erat Vicarius Generalis pro Circaria Floreffiae. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, p. 364.

⁷⁾ Annis 1738-1748, Iosephus Van der Boven abbas erat S. Michaelis Antverpiensis. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, p. 268.

Regius dicat, probetque illum a Rege esse exclusum; quo casu, uti et quando nemo a Compromissariis habet 6 vota, proceditur ad 2am et ultiores electiones, si necesse sit, donec ex dictis Compromissariis sex saltem conspirent in eiusdem personae electionem, eaque non sit a Rege exclusa; praetendit enim Rex potestatem exclusionis illimitatam. In casu non electionis la die peractae, procedunt Compromissarii praedicti rursum postridie ad electionem, in qua, si spatio 4 horarum non possint, ut supra, convenire, Conventus Praemonstratensis illis gratias agit, et eligit 11 alios Compromissarios, idque tandiu, donec habeant unum saltem a sex illis electum, et a Rege non exclusum. Electus Abbas Praemonstratensis et Generalis Ordinis non se immiscet se eiusdem regimini ante acceptas suas confirmatorias Bullas Pontificias.

Duo Candidati erant D. Grisard, Abbas Albae Curiae ⁸⁾, et D. Vinay ⁹⁾, Prior Collegii Praemonstratensis in Urbe Parisiensi, ac Definitor Generalis et nuperi Capituli generalis secretarius ⁹⁾, uterque Doctor Sorbonicus. Horum partiarum ante electionem multis soliti fuere nec sine turbis ad respectivi Competitoris exclusionem, hisque illaudatis moliminibus utriusque exclusionem sibi accersiverunt iudicante Rege Christianissimo de consilio Eminentissimi Cardinalis de

⁸⁾ Ludovicus Grisard abbas fuit Albae Curtis annis 1739-1761. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, p. 543. De eo refert L. GOOVAERTS, *o.c.*, III, Bruxellis, 1907, p. 65. Grisard interfuisse Capitulo Generali anni 1738, (revera eius nomen citatur in Actis Capituli inter illos qui huic Capitulo intererant); et quidem qua Prior Collegii Parisiensis Ordinis; Additque Goovaerts, l.c. « J'ai reçu l'extrait suivant des archives de Grimbergen (e quali documento non indicatur): Grisard tempore capituli generalis 1738 multa effutire ausus fuit coram Praelatis Brabantiae et Flandriae, contra praxim Ecclesiae orantis pro defunctis particularibus, etc. Qua de causa a difinitorio exclusus fuit. Postea factus est Abbas Albae Curiae. Mortuo Generali Claudio Hon. Lucas de Muin, pars iunior conventus Praemonstratensis in eius favorem conspiravit. Auctoritate et opera Augustini Van Eeckhout, a Cardinali de Fleury exclusus est dictus Grisard, et electus est de Roquevert, Abbas Clari Fontis ». — In Diario abbatis Van Eeckhout, habetur satis longa descriptio eorum quae evenerunt in Capitulo Generali anni 1738: « Quod attinet festum 7 Dolorum B. Mariae Virginis plures e Galliae Prioribus non admodum amabant id proponi, causantes Officii defectum, et veriti expensas impressionis ut est totum proprium et admodum prolixum, praesertim in psalmis et lectionibus Matutinarum. Alii-etiam Galliae Abbates et Priores instabant et urgebant propositionem. Hanc assumere modeste abnui, tum causatus me non esse Capituli Promotorem, cui id inculceret tum id me non tangere, cum pridem festum istud apud nos Triplex 3 classis sit. At tandem urgere dignatus, cessi non invitus ». Diarium, II, p. 42.

⁹⁾ Agitur de Capitulo generali anni 1738.

Fleury, supremi sui Ministri ¹⁰⁾; id necessarium ad obtinendam pacatam electionem. Fuerunt et duo alii viri plane insignes ac admodum capaces. Scilicet D. L'Heureux, Doctor Sorbonicus, et D. Didier, quondam Praemonstrati prior, et actualis S. T. Lector, qui putabatur magnam habituri partem in electione; atque neque de his quaestio fuit. Cum enim D. Vinay, qui supra, unus ex 11 Compromissariis, mox ac ingressi erant Conclave electionis, proposuisset Dominum Augustinum de Roquevert, Abbatem Clari Fontis, tamquam dignissimum, omnes praeter expectationem-forte et contra aliquorum mentem-abripuit in suam sententiam, fuitque praedictus Abbas Clari Fontis pacate et citissime electus, Commissario Regio illi impense favente; fuitque adeo hic adimpletum illud Scripturae: Insuspicabile tulit diadema. Vir est insignis, quem in nupero Generali Capitulo novi, est 57 annorum; optandum solum ut esset aetatis minus provectae, et valetudinis magis firmus, de quo proinde sperare non licet regimen tam diuturnum, quale contigit 3 immediatis Praedecessoribus: Illustrissimus le Scellier ¹¹⁾, Colbert ¹²⁾, et Lucas ¹³⁾, qui soli integrum pene saeculum compleverunt. Deus illi aspiret, et regimen illius quam diutissime extendat. Amen. Electo Neo-Generali mox gratulatus, perurbanum recepi responsum ».

Uti supra iam dictum est, abbas generalis de Roquevert paulo post iam obiit. Seu: finiente anno 1741. Ita ut nova electio necessaria fuerit. De hac ultima electione plura habet idem abbas Van Eeckhout in Diario, II, pp. 107-112. Indicatque abbas Van Eeckhout fontem eorum quae narrat; litteras accepit ab abbate Bonae Spei, Hieronymo Petit ¹⁴⁾, qui utrique electioni et anni 1740 et 1741, qua consiliarius interfuit. Haec autem exponuntur ab abbate Van Eeckhout in Diario suo:

« 14a Decembris (1741) peracta fuit Praemonstrati novi Generalis electio. In qua Commissarius Regis Christianissimi fuit D. Bignon, intendens Suessionensis, idem qui anno praeterito eidem electioni interfuit; ex Abbatibus Belgii, Reverendissimus D. Bonae Spei ¹⁵⁾,

¹⁰⁾ Cardinalis de Fleury (1653-1743), inde ab anno 1726, dux erat Gubernii sub rege Ludovico XV.

¹¹⁾ Augustinus le Scellier abbas generalis fuit annis 1645-1666.

¹²⁾ Michael Colbert abbas generalis fuit annis 1667-1702.

¹³⁾ Claudius Honoratus Lucas de Muin abbas generalis fuit annis 1702-1740.

¹⁴⁾ Cfr. supra, n. 6.

¹⁵⁾ Hier. Petit.

qui domum redux, 20a eiusdem, electionis seriem ex circumstantiis mihi exacte descriptis, modo qui sequitur, submitit.

Ante electionem Compromissariorum vocavit D. Commissarius Regius Abbates Assistentes ad particulare cubiculum; iisque declaravit se habere 3 litteras Regias, excludentes et voce activa quam passiva privantes 3 Canonicos Ecclesiae Praemonstratensis professos. In hunc finem advocari iussit Priorem Praemonstratensem et per hunc praedictos 3 exclusos privatosque coram quibus litterae istae fuerunt lectae, singulisque respective traditae, qui iis acceptis abiverunt. An conquesti aut protestati non scribit Dominus Bonae Spei. Fuerunt hi tres D. Jaloux, Professor Theologiae, D. Le Roy, Professor Ecclesiae Praemonstrati, et D. Maronis, maximae expectationis : ille idem qui in novissimo Capitulo Generali peroravit¹⁶⁾; quae fuerit huius exclusionis ratio aut praetextus : itidem non scribit D. Bonae Spei, sed addit : Non erat necesse illos excludere quia de iis eligendis nulla erat cogitatio. An vero hoc intelligat de electione horum in Compromissarios, an extendi possit ad electionem in Generalem, dicere nequeo. Sed, utut fuerit, manet gravamen saltem in privatione vocis etiam activae. His per D. Commissarium Regium declaratis, processum fuit ad electionem Scrutatorum electionis, ac deinde 11 Compromissariorum, id est eorum qui omnium nomine immediate eligunt Generalem. Haec in Capitulari loco peracta fuerunt, satis pacate. Diverterunt

¹⁶⁾ In Actis impressis huius Capituli, p. 8, simpliciter dicitur : Missa de spiritu Sancto finita, « sese omnes ad Aulam Capitulantium Conventus recepere, Concionem pro more audituri ». — Plura autem addit Abbas Van Eeckhout, Diarium, II, p. 35 : « Finita Missa de S. Spiritu, Illmus Dominus una cum Capitulantibus et Conventu Praemonstratensi ingressus est Capitulum Conventuale : *Benedicite* dicto per eundem, orationem latinam habuit quidam canonicus Praemonstratensis. Thema erat illud *Regulae* : Unanimes habitetis in domo Domini, et sit vobis, etc. Partes vero orationis : 1^o. Unanimitas, Ordinis securitas. 2^o. Unanimitas, Ordinis splendor. Primam partem maxime a contrario probavit ex turbis Richelianis. Secundam vero partem locis satis communibus probare conatus fuit. Displicuit plerisque Capitulantibus, praesertim Germanis et Belgis, ad id muneris designatum a Generali iuniorem Sacerdotem, vix a quadriennio Religionem ingressus, cum Statuta decernant id fieri debere per aliquem Abbatem, vel alium ex praecipuis Doctoribus vel Canonicis. Et vero, id omnino decet-ut mitissime loquar-et requiritur in illo, cuius est monere, instruere, vel saltem adhortari consessum tam eruditum et honorabilem, ut hic erat. At fortasse hic Confrater iudicio Gallorum fuerit *ex praecipuis*, apud quos magnus Orator audiebat; hoc autem non habuit a caeteris, qui neque quoad substantiam, neque quoad dicendi modum aliquid speciale in eius oratione reperire potuerunt. Plures se vix aliquid intellexisse dicebant; etsi sederet orator in medio Capituli, facie Generali obversus, et quidem in sede maiori, sedentibus Praelatis in communi scamno Capitulari. Huic congregationi interfuerunt etiam extranei, Ecclesiasticique saeculares ».

deinde Abbates, electionis Praeses ac Consilarii ad aliud Conclave, ubi dictus Commissarius declaravit : 1^o quod D. de Vinay non esset *gratus Regi*; id quod ad maximam commendationem pertinebat; at *non erat gratus gregi*, ut addit D. Bonae Spei — nec immerito — ut postea patebit. Est autem D. Petrus de Vinay hodie Abbas Clari Fontis, loco Domini de Roquevert ¹⁷⁾, Generalis defuncti a Rege denominatus ab aliquot mensibus ex Priore Collegii Parisiensis; fuitque antea per plurimos annos Secretarius Domini Generalis ¹⁸⁾. Habet in Ordine fratrem germanum Ludovicum de Vinay, professione Laudunensem, Ordinis Syndicum; et in Curiis Parisiensibus Procuratorem Generalem, qua qualitate Capitulo Generali novissimo ¹⁹⁾ interfuit. Haec per transennam pro intelligentia sequentium. Declaravit 2^o quod sua Maiestas velit ut eligendus sit Regnicola. 3^o. Prolatis 4 Regiis litteris exclusos a Generalatu declaravit Dominos l'Heureux, Doctorem Sorbonicum, Didier, Priorem Praemonstratensem, antea Theologiae Professorem, Grisard, Abbatem Albae Curiae ²⁰⁾, itidem Doctorem Sorbonicum, et denique Priorem de Thenailles, sive-ut opinor-Thenoliensem. Qua exclusione declarata, maxima fuit contentio, itemque strenua in querelas ac murmura. Volentibus Religiosis deputare ad Regem delegatos, qui suo nomine gravamina et libertatis Canoniae impedimenta reverenter exponerent, et restitutionem in integrum humiliter deposcerent. At falso caneabant Commissario Regio, hoc permittere nolenti, et tantum non vetanti huiusmodi conatus. Nec mirum; volebat enim omnimodis promovere D. Petrum de Vinay, antea gloriatus hunc futurum Generalem. D. l'Heureux pari modestia ac eruditione pro electionis libertate citra suae ambitionis ambitum coram Regio Commissario peroravit, ab omnibus non sine admiratione auditus; meritoque laudatus. Fuisset autem, ut scribit D. Bonae Spei (obiit l'Heureux anno sequenti : 1742), l'Heureux *certissime* omnium votis electus fuisset electus Generalis, si haec exclusio eiusdem non intercessisset. At, ut non habuerit dignitatem in Ordine, gloriosum est habuisse et meritum et suffragium ... Pergit in suis Reverendissimus

¹⁷⁾ De Roquevert erat abbas Clari Fontis, quando abbas Generalis electus fuit. Loco ipsius, abbas Clari Fontis, annis 1758-1781, fit Petrus Parchappe de Vinay. Qui annos 1758, abbas Praemonstrati electus fuit. Cfr. N. BACKMUND, *o.c.*, p. 372.

¹⁸⁾ De Vinay per plures annos fuerat secretarius Abbatis generalis Honorati Lucas de Muin.

¹⁹⁾ Agitur de Capitulo generali anni 1738.

²⁰⁾ Cfr. supra, n. 8.

Bonae Spei, dicitque in substantia, multa alia in electionis libertate obiecta fuisse D. Commissario sed sine ullo fructu; se autem-Abbatem Bonae Spei-suo et Confratrum Belgii Abbatum nomine, Domino Intendenti dixisse, quod si electio non fieret libere et canonice, eligendusque non esset Ordini gratus, quod inquam nos separaremus a Generali Franciae — id quod sine gravissimo Ordinis detrimento ac scandalo fieri non posset. At neque istae minae Dominum Intendentem terruerunt; neque flexerunt, frigide dicam an gloriose? respondentem: Rex noster — ut est Europae *arbiter et moderator negotium hoc bene accomodabit*; id est: *componet*, separationem impediet ... Reflexionem meretur separatio a Generali Franciae, quam D. Bonae Spei tam suo, quam Abbatum Belgii nomine uti dicebat D. Commissario Regis minitatus fuit: *Fortiter* id quidem, sed dictum Reverendissimum non habuisse istam commissionem. Quod vero dicat, istiusmodi separationem olim fuisse attentatam, utrum iudico a saeculo in turbis Richelianis, de quibus in Annalibus Ordinis, tom. 1, fol. 43²¹⁾, tunc enim-ut de nostra Circaria loquar-Reverendissimo D. Chrysostomo Van der Sterre, S. Michaelis Abbati, Vicario nostro²²⁾ per Urbanum VIII collata fuit potestas, et omnis auctoritas in dictam nostram Circariam, qua praeditus est Generalis in totum Ordinem.

Ex his proclive erat iudicare libertatis coarctatae dispendium ab Aula profluisse; at iis quae post electionem acciderunt, patescit illud potius profluxisse ex domesticis illaudatisque nostrorum moliminibus. Quin suspicari licet litteras Regias exclusionis et privationis-de quibus supra-fuisse sub- et obreptitiae extortas aut emendicatas. Hoc, ut pateat litteras quas super hoc negotio mihi scripsit 15a Ianuarii 1742, Reverendissimus D. Cuissiacensis²³⁾, latine reddam, additis solum quibusdam parenthesisibus maioris claritatis gratia. Sic sonant:

Cuissiacum redux, Sabbato 16a Decembris, postridie occupatus fui scribendis litteris Domino Episcopo Ambianensi²⁴⁾, aliisque personis,

²¹⁾ C. L. Hugo in suis *Annalibus*, loco citato in textu, exponit breviter ea quae egerit cardinalis Richelieu ut, qua abbas commendatarius, Abbati generali Petro Gosset (†1636) succederet.

²²⁾ I. Chr. Van der Sterre (1591-1652), annis 1629-1652, abbas fuit S. Michaelis Antverpiensis, et inde ab anno 1647 Vicarius generalis Circariae Brabantiae. Cfr. de ipso L. GOOVAERTS, *l.c.*, I, pp. 287-295.

²³⁾ Franciscus Castelnau de la Mauvissière. Cfr. supra, n. 5.

²⁴⁾ Episcopus Ambianensis (Amiens), annis 1734-1774, fuit Ludov. Franc. Gabriel d'Orléans de la Motte. Cfr. P. B. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1952, p. 488.

quibus sciebam Dominum Electum ²⁵⁾ omnimodis confidere in finem, ut illi persuaderem; Praemonstrato discedens, hac in re admodum ancipitem illum adhuc videbam, citra huius diei loetum adventantem vidi istius domus Praemonstratensis Suppriorum, qui me rogatus veniebat, ut dictum Dominum meum Electum ad Aulam comitarer, eundemque ibidem praesentarem. Etenim partiarum Domini de Vinay, qui tanta moliti fuerant tam ante quam in ipsa electione, post discessum Dominorum Abbatum — qui electioni adstiterant — rumorem *malitiose* sparserant, Dominum Electum non fore a Rege approbandum. Credebamus igitur necessarium, ulteriora illorum molimina quae adhibere possint, praevenire, et discedebamus indilate Versaliam. Ibidem admodum bene et perfecta cum benevolentia recepti fuimus. Et Dominus Cardinalis Minister-de Fleury-adhortatus Dominum Electum, ut studia in Ordine restitueret, et abusus tolleret, qui domos nostras Franciae non reformatas dehonestant, tandem adiunxit: *Labora et ego te sustinebo*, sive te manutenebo, *omni pondere auctoritatis meae*. Deinde Nos Regi praesentavit, cui multa dixit in commendatione Domini Electi. Omnes magni Coronae Officiales, quos itidem visitavimus, pari gratiositate nos exceperunt. Visibiliter animadvertebamus, quod Aula *nullam* partem habuerit in illis vexationibus quibus Conventus Praemonstratensis affectus fuerit ... Nihilominus ausi non fuimus ulla querelas depromere, quia D. Commissarius praedictus nos comitari voluit in his visitationibus, sub praetextu Nobis exhibendi honoris, sed forte ex metu ne illius *iniustitias* detegeremus. Spero nos futuros contentos de Neo-Generali. Magno zelo ac constantia praeditus est; magnaue spiritus extensione; estque robusto temperamento. Quoad eius sensa in huius temporis controversia, iudicare poteris ex hac thesi, quam in cursu theologico cum laude sustinuit: *Veritas et aequitas Constitutionis « Unigenitus » demonstrata* ²⁶⁾. Parisiis, ubi ab illo discessi, Domnum Martini ²⁷⁾ intra

²⁵⁾ de Bécourt.

²⁶⁾ Constitutio « Unigenitus » a Summo Pontifice, Clemente XI edita, intendebat sopire difficultates et determinare solutionem tenendam in disputationibus de Gratia existentibus potissimum in Gallia, consequenter ad sic dictum « Iansenismum », et disputationes exinde ortas. Publicata fuit anno 1713. Abbas Van Eeckhout energice valorem huius Constitutionis defendebat; quod quidem tunc non de omnibus in Ecclesia dici poterat.

²⁷⁾ Abbatia Domni Martinensis tunc sita erat in dioecesi Ambianensi. Abbas generalis neo-electus, de Bécourt, annis 1739-1742, fuerat abbas Domni Martini.

mensem Praemonstratum redibit, et hinc Versaliam, quam cito perceperit adventum suarum Bullarum, ut in manibus Abbatis Domni Martini faciat demissionem. Resolvit infra annum convocare *Capitulum Nationale Franciae* ²⁸⁾, ut cognoscat diversos Superiores praesertim Abbatiarum commendatarum ».

Hucusque Reverendissimus D. Cuissiacensis, cuius epistola detegit mysteria — utinam non iniquitatis — non modo si haec epistola conferatur cum prima, quae est Reverendissimi Domini Bonae Spei ²⁹⁾; sed et si epistola conferantur cum electione anni praeteriti, de qua supra ³⁰⁾; sane quamquam Dominum de Vinay diudicare velim, fateri tamen debeo, me opinionem magis favorabilem antea habuisse. Sed solus Deus scit quid sit in homine ».

En ea quae de illis electionibus scribit Abbas Van Eeckhout. Cumque testes eorum quae hac ratione describuntur ab isto Abbate nominatim indicentur et vere praesentes fuerint in illis electionibus, eorum iudicia spernenda non sunt ubi agitur de formando iudicio aequo et adaequato de historia Ordinis Praemonstratensis medio saeculo decimo octavo.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

²⁸⁾ Abbas generalis de Bécourt intentionem suam de convocando Capitulo Nationali Praemonstratensium Franciae ad effectum deducere non potuit. Capitulum tale celebratum fuit anno 1779, sub Abbate generali Manoury. Cfr. B. RAVARY, *Prémontré dans la tourmente révolutionnaire*. Parisiis, 1955, pp. 50-61. Consequenter ad hoc Capitulum, anno 1773, edita fuerunt nova Statuta : *Statuta sacri et canonici Praemonstratensis ordinis, renovata jussu Regis christianissimi, ex auctoritate Capituli nationalis, anno 1770*.

²⁹⁾ Hier. Petit. Cfr. supra, n. 6.

³⁰⁾ In hac electione electus fuerat de Roquevert, anno 1740.